



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici,
& Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur,
Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis,
Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris
novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. LXXIX. De Usura.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

elemosynam ritè, & rectè pro eadem re pauperibus factam; ne res stent longo tempore in manibus Usurpantium.

16. *Quer.* An qui excusatur à restitutione ad tempus, teneatur ad damna emergentia vero domino, & lucra cessantia? *Resp.* Dux sunt opiniones. Prima distinguit; aut dilatio fit ob gravem necessitatem, & non tenetur ad damna, & lucra supradicta. Aut ob alias minores causas, & tenetur. Secunda distinguit; Aut debitor est culpabilis, & tenetur ad dicta damna, & lucra; vel in eo non est culpa, & non tenetur. P. Coton. d. cap. 7. num. 206. contr. 9. lib. 2.

17. *Quer.* Quæ, & quot sint causæ excusantes à restitutione famæ? *Resp.* Esse novem. Prima, condonatio ejus, cujus fama non redundat in alios. Secunda, Justa compensatio. Tertia, Si fama alia ratione fuerit reparata. Quarta, Si infamia prudenter existimatur abiisse in oblivionem. Quinta, Si crimen occultum alia via fiat publicum: Sexta, Si restitutio sit impossibilis. Septima, Si non possit restitui absque majori damno restituentis ratione majoris dignitatis. Octava, Si bona fide fuit facta diffamatio, credendo esse verum delictum, & resciri non possit sine jactura sua. Nona, Si diffamanti non fuit præstita fides. Sed de hac materia alio loco erit loquendum.

CAPUT LXXVII.

De Contradibus in genere.

1. *Quer.* Quibus modis contrahitur obligatio? *Resp.* Quatuor modis, nempe vel ex contractu, vel ex quasi contractu, vel ex delicto, vel ex quasi delicto. §. 2. *Instit. de Obligat.*

2. *Quer.* Quid sit contractus? *Resp.* Est pactum, seu consensus duorum, quo scienter libere, & legitime vicissim se obligant, seu unus eorum obligatur. Nicol. in *Lucubr. utriusque Jur.* tom. 1. lib. 3. tit. 14.

3. *Quer.* Quot modis fiant contractus? *Resp.* Quatuor modis, nempe Re, Verbis, Litteris, & Consensu, dict. §. 2. *Instit. de Obligat.* Et hi modi talem denominationem recipiunt, non quia in omnibus contractibus non sint opus re, aut verbis, aut consensu; sed quia in contractibus, in quibus principaliter attenditur aut rei datio, aut verba, aut consensus, dicitur obligatio nasci Re, Verbis, aut Consensu.

4. *Quer.* Qui sint contractus, qui Re perficiuntur? *Resp.* Sunt quinque, nempe Mutuum, Commodatum, Pignus, Depositum, & Indebiti solutio. *Instit. Quibus modis re contrahitur obligatio.* Nicol. d. lib. 3. tit. 15.

5. *Quer.* Quales sint contractus, qui verbis fieri dicuntur? *Resp.* Stipulatio, Asseratio, Promissio, Fidejussio. Nicol. d. l. 3. tit. 16.

6. *Quer.* Quis sit contractus ex Litteris perficiendus? *Resp.* Ille est, in quo aliquis facetur syngrapha, seu chirographo se accepisse ab alio pecuniam restituendam. *Instit. de Litterar. oblig.* Nicol. dict. lib. 3. tit. 22.

7. *Quer.* Qui sint contractus, qui Consensu?

Dest. Clericali Tom. II. Lib. VII.

su existunt? *Resp.* Tales sunt, Emptio, & Venditio, Locatio, & Conductio, Societas, & Mandatum. Nicol. dict. lib. 3. tit. 24.

8. *Quer.* Quales sint quasi contractus? *Resp.* Sunt isti, nempe Negotiorum gestio, Tutela, & Cura, Hæreditatis communitio, & Hæreditatis aditio. *Instit. de Oblig. quæ quasi ex contractu nascuntur;* de quibus omnibus nonnulla quæsitæ magis necessaria formabimus, & etiam aliquid de Ludo, ne Confessarius ea ignoret.

CAPUT LXXVIII.

De Mutuo.

1. *Quer.* Quid sit Mutuum? *Resp.* Est contractus, quo dominium alicujus rei, constantis numero, pondere, aut mensura; à mutuantem in mutuatarium transfertur, cum obligatione restituendi consimilem rem specie, vel bonitate. Nicol. dict. lib. 3. tit. 15. num. 2.

2. *Quer.* Quæ sit differentia inter mutuum, & alios contractus reales? *Resp.* Hæc est differentia, quod in mutuo transfertur dominium, in aliis usus tantum transfertur, non etiam dominium. *Instit. d. tit. 15.*

3. *Quer.* Quomodo peccare possint, qui dant res suas mutuo? *Resp.* Dupliciter. Uno modo, si non moneat mutuatarium de vitio, quod forsan est in re mutuata. Altero modo, si lucrum accipiant causa mutui, tunc enim committunt Usuram. Tambur. in *Decalog.* lib. 8. cap. 8. §. 1.

CAPUT LXXIX.

De Usura.

1. *Quer.* Quid sit Usura? *Resp.* Est lucrum immediate proveniens ex mutuo; quia cum res non sit amplius mutuantis, sed dominium transierit in mutuatarium, non licet amplius ex ea lucrum recipere. Hinc regula datur ad cognoscendam Usuram: nempe, Omne pactum, vel gravamen, si vel omnis additum mutuo, præter id, quod ei proprium, & intrinsecum est, reddit contractum Usurarium. Ita Bonac. de contract. disp. 3. quest. 3. punct. 3. Tambur. d. lib. 8. cap. 8. §. 2. Decisiones meæ de Usuris.

2. *Quer.* Quotuplex sit Usura? *Resp.* Est duplex, Mentalis, & Realis; & hæc subdividitur, quod alia est explicita, alia palliata. Nicol. dict. lib. 3. tit. 15. num. 11.

3. *Quer.* Quæ sint species prædictæ Usuræ? *Resp.* Mentalis Usura est, cum quis mutuum dat, sperans in sua mente recipere lucrum. Realis explicita est, cum quis paciscitur de lucro habendo. Palliata Usura est; cum quis, ut lucrum ex Usura colligat, fingit alios contractus, de quibus Tolet. lib. 5. cap. 31. Salmanticenses de contractib. tract. 14. cap. 3. num. 12.

4. *Quer.* An sit Usura, recipere aliquid à mutuuario titulo gratitudinis? *Resp.* Non esse usuram; at si daretur tanquam debitum, esset usura, & obligatio restituendi? Nicol.

Nicol. d. lib. 3. tit. 15. num. 9. Ideo est Propositio damnata ab Innocentio XI. asserere, quod sit licitum exigere aliquid ultra fortem tanquam debitum ex benevolentia, & gratitudine; ut in *Propos. 41. & 42.* de quibus late agit Cardenas in *Crisi Dissert. 25.*

5. *Quer.* An sit Usura, mutuare ad captandam amicitiam, seu benevolentiam? *Resp.* Negative, etiam si ex illa amicitia aliquod beneficium esset proventurum; quando id non deducitur in pactum, vel principaliter non intenditur. Tolet. *dict. cap. 31.*

6. *Quer.* An sit Usura obligare mutuatarium, ut recipiat à te partem pecunie in mercibus, quibus non eget? *Resp.* Affirmative. Cardenas in *Crisi Dissert. 25. num. 59.*

7. *Quer.* An sit Usura obligare eundem mutuatarium, ut exigit pecuniam tuam à tuis creditoribus? *Resp.* Esse usuram, si difficilis sit exactio, aut dispendiosa. Tolet. d. lib. 5. tit. 30. num. 2.

8. *Quer.* An liceat aliquo in casu lucrum ex mutuo recipere? *Resp.* Licere in tribus casibus. Primo, ob lucrum cessans. Secundo, ob damnum emergens. Tertiò, ob difficultatem, seu expensas in repetendo mutuo. Tamburin. in *Decal. lib. 8. cap. 8. §. 3. & 4.*

9. *Quer.* Quid sit lucrum cessans? *Resp.* Est illud lucrum, quod percepisses ex negotiatione illius pecunie, quam mutuo das petenti: Et ad hoc, ut sit licitum tale lucrum, tria debent intervenire. Unum, quod verè volueris cum ea pecunia negotiari. Alterum, quod non habeas aliam pecuniam ad negotiandum. Tertium, quod minus exigas, quam lucrari poteris ratione Incertitudinis, & deductis expensis, ad arbitrium scilicet prudentis viri. Bonacina *dict. quest. 3. punct. 4.* Tolet. d. lib. 5. tit. 32. Salmanticenses *dict. tractat. 14. de contractib. cap. 3. punct. 9.*

10. *Quer.* Quid sit damnum emergens? *Resp.* Est illud, quod provenit ex privatione illius pecunie mutuatae; ut si volebas reficere domum, quæ corruit. Vel solvere publicas gravedines, & ex dilatione in pecuniam incidisti. Tolet. d. lib. 5. cap. 32. num. 2.

11. *Quer.* Quomodo intelligatur illud lucrum ratione difficultatis, seu expensarum in repetendo mutuum? *Resp.* Si mutuans timeat difficultatem, vel fraudem mutuatarii in restituendo mutuum, potest pacisci, quod si non restituat tempore præfixo, solvat aliquid loco pœnæ; sed necesse est, ut moraliter mutuans sciat, solutionem seu restitutionem eo tempore posse fieri; nam ubi certò sciret, mutuatarium restituere non posse eo tempore, esset usura. Tolet. lib. 5. cap. 32. Bonac. *dict. qu. 3. punct. 7.*

12. *Quer.* An sit Usura emere credita difficilis exactio minor summa? *Resp.* Negative, ob difficultatem in exigendo. Nicol. *dict. tom. 1. lib. 3. tit. 15. num. 12. in limit. 2. pag. 264. col. 1.*

13. *Quer.* An sit Usura dare pecora Rustico æstimata, cum pacto, ut restituat ea cum eadem æstimatione cum aliquo lucro? *Resp.* Negative, juxta Leotardum de *Usuris*

qu. 31. à num. 7. & seq. quod tamen intelligendum est; ut detrimenta, & mortes, absque culpa rustici in pecoribus futura, sint æqualiter dividenda; nam hic censetur contractus Societatis, seu Negotiationis, in quo damnum debet esse commune; nisi rusticus assumat in se etiam damnum ob parvam summam lucri solvendi domino pecudum.

14. *Quer.* An in Usura parvitas materie excuset a peccato mortali? *Resp.* Diversas esse DD. opiniones. Summa Diana *Verb. Usura num. 2.* At quod etiam in minutissimo lucro usura sit mortale, tenet Leo par. 1. *resol. 7. num. 37.* Quod non sit mortale, dixi in meis Decisionibus Anni 1685, *Mense Septembr. quæst. 1. de Usuris.*

15. *Quer.* An peccet, qui recipit mutuum cum pacto solvendi Usuram? *Resp.* Si mutuarius petat cum hoc animo inducendi mutuante ad committendam Usuram, peccat peccato scandalii; at cessante in eo hoc animo, non peccat neque petendo, neque uluras solvendo. Summ. Dian. *Verb. Usura num. 4. & 5.*

16. *Quer.* An Principes possint dare licentiam positivam Judais exercendi usuram? *Resp.* Negative. Diana *part. 9. tr. 9. resol. 14.*

17. *Quer.* An sint Usurarii contractus, qui vulgò vocantur *Stocchi*; nempe, quando quis egens pecunia emit merces à mercatore pacto pretio centum librarum, & statim eas vendit eidem mercatori pretio nonaginta librarum in pecunia numerata? *Resp.* Moralitè, non esse Usuram, tribus concurrentibus. Primo, quod mercator ad hoc non cogat emptorem. Secundo, quod pretium, quo ipse vendit ei merces, non sit majus summo. Tertiò, quod pretium, quo eas redemit, non sit minus infimo. At si obliget ex pacto illi revendere minori pretio, est *Mohatra*, & Usura, Cardenas in *Crisi Dissert. 24. Decisiones meæ dict. Anni 1685, Mense Octobris Cas. 1.* ubi conclusi, quod hodie tales contractus sunt illiciti; itantè *Proposit. 40.* damnata ab Innocentio XI. quæ asserbat, quod Contractus *Mohatra* licitus est etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu revenditionis prævi intro, cum intentione lucri.

18. *Quer.* An sit licitus contractus, qui nominatur vulgò *dareà godere*? E. gr. Ego trado tibi domum meam ad fruendum; & tu tradis mihi pecuniam, quam cum restituero tibi, tu quoque restitues mihi domum? *Resp.* Esse licitum; sed duo requiri, unum, quod fructus domus, seu prædii respondeant fructui, quem ex pecunia mercator potest trahere. Alterum, quod ponatur certum tempus, in quo domus, seu prædium, & pecunia sit adinvicem restituenda; & interim nullus molestetur, quia tunc est venditionis contractus ad tempus. Ita *Hobon. part. 2. tract. 9. cap. 15. quæst. 42. & Diana part. 1. tract. 8. resol. 28.* Quæ in *Co. ordinato est tom. 6. tract. 1. resol. 29.*

19. *Quer.* An licitus sit contractus, qui dicitur *Lotto*? *Resp.* Affirmative, quia est fortuitus; debent tamen cessare fraudes; & pretia rerum debent esse proportionata exitum

rum valori, computatis expensis, & laboribus ministrorum. Dian. part. 1. tract. 8. resol. 81. Quæ residet in opere Coordin. tom. 6. tract. 3. resol. 125.

20. Quer. An sit Usura, dare magnam pecuniam mercatori ad negotiandum, cum hoc pacto, ut tibi solvat sex, aut octo pro centenario absque alio damno, vel utili illius negotiationis? Resp. Non esse usuram, si intendas facere saltem implicite tres contractus una vice; nempe unus societatis, aliud assecurationis, tertium venditionis lucri incerti pro lucro certo: oportet tamen, ut sex illa, vel octo pro centenario sint intra limites iustitiæ ad arbitrium boni viri, computatis utilitatibus negotiationis, expensis, damnis, & periculis. Bonac. de Contract. disp. 3. q. 3. punct. 11. n. 2. & Diana part. 1. tr. 8. res. 30. quæ in Coordin. est tom. 6. tr. 3. res. 49. Salmanticenses de Contractib. tr. 14. cap. 3. punct. 11. ubi plene disputant, & examinant hoc Quæsitum.

21. Quer. An sit differentia inter Usurarium occultum, & Usurarium manifestum? Resp. Affirmative, quia contra Usurarios occultos nulla poena latæ sententiæ reperitur in iure; undè cum illis Confessarius potest procedere in foro conscientiæ, sicut cum aliis obligatis ex delicto. Thesaur. de Penis Eccles. par. 2. Verb. Usurarium poena cap. 1. An contra Usurarios manifestos multæ poenæ inflictæ sunt à iure.

22. Quer. Quis dicatur Usurarius occultus, & quis Usurarius manifestus? Resp. Usurarius occultus censetur ille, de cuius crimine usuræ non habetur notitia neque ex notorietate juris, neque ex notorietate facti. Et è contra manifestus Usurarius censetur, Primò notorietate facti, ut si publicè habeat mensam ad scenerandum expositam, vel ita frequenter sceneretur, ut res sit notoria majori parti civitatis, vel oppidi, vel paraciæ, seu viciniæ. Gloss. in cap. 1. verb. Manifesti de usuris in 6. Menochius de Arbitr. Judic. casu 235. num. 9. Secundò notorietate juris, quando in Iudicio fuit de usura confessus, aut condemnatus. Menoch. ubi supra num. 12. Mascard. Conclus. 1425. num. 8. Clarus Verb. Usura num. 5.

23. Quer. Quæ, & quot sunt poenæ, quas ipso iure incurrunt Usurarii manifesti? Resp. Sunt septem.

Prima est, quòd Sacramenta sunt eis deneganda, donec realiter, & plenariè restituerint usuras, vel idoneam cautionem præstent de restituendo pro viribus patrimonii sui, cap. Quia in omnibus, de Usuris. cap. Quamquam, eod. tit. in 6. ubi quòd non sufficit, mandare in testamento, restitutionem esse ab hæredibus faciendam, sed saltem cautionem pignoratitiam, aut juratorem esse dandam. Lessius de Just. & iure lib. 2. cap. 20. num. 187. Thesaur. d. cap. 1.

Secunda poena est, quòd ante restitutionem Usurarius manifestus non est permittendus interesse Missæ. d. cap. Quia in omnibus, de Usuris. Et Concil. Trid. sess. 22. in Decreto de observ. & vitand. in celebrat. Missar. Ugolin. de Usur. cap. 24. num. 4.

Tertia est, quòd non admittatur ad oblationes tam in Sacrificio Missæ, quàm extræ. d. cap. Quia in omnibus. Si tamen haberet onera realia solvendi legata Ecclesiæ, sunt recipienda etiam à publico Usurario; à quo etiam elemosynas pauperes non prohibentur accipere. Suarez de Censuris disp. 31. sect. 2. num. 6.

Quarta est, ut non admittatur ad Ecclesiasticam sepulturam, etiam si poenitens decesserit, nisi prævia restitutione, vel saltem præstita cautione ab ipso, vel ab hæredibus de restituendo, quamprimum fieri poterit, d. cap. Quamquam, & cap. Quia in omnibus, ubi Gloss. & in Clem. 1. verb. Manifestos, de Sepult. Adeò, ut non sufficiat contritio, aut Confessio Sacramentalis, nisi sequatur restitutio, vel cautio de restituendo. Sylvest. verb. Usura, 9. qu. 4. Quòd si Usurarius mortuus impoenitens sit sepultus in loco sacro, venit exhumandus, & ejciendus de loco sacro ad sepulturam Alinei. Abb. cons. 81. Card. cons. 2. & habetur 4. Reg. 23.

Quinta est, quòd non possit facere testamentum, & si faciat, sit ipso iure nullum in utroque foro. d. cap. Quamquam, de Usuris, etiam si factum sit ante commissum crimen usuræ. Surdus de Aliment. tit. 7. quest. 41. num. 18. & idem est de codicillis, & de donatione causa mortis. Clarus §. Donatio, quest. 7. & Cevall. Commun. contra commun. quest. 11. num. 12. Valebit autem, si ipse Usurarius poenitentiam agendo restituat, vel cautionem det de restituendo. Secus autem, si ipsi hæredes vellent restituere, & ipse Testator esset mortuus impoenitens. Lauren. de Rodolph. tract. de Usura part. 2. quest. 99. Lessius cap. 20. n. 188. de Just. & iure.

Sexta poena est, infamia juris. cap. Inter dilectos, de Excessib. Prælator. cap. Infames, 3. quest. 7. & cap. Infames; 6. qu. 1. l. improbum senus. C. Ex quib. caus. inf. irr. Hinc

Septima poena est Irregularitas ad Ordines, & inhabilitas ad beneficia, d. c. Inter dilectos. Majol. de Irregular. lib. 5. cap. 29. num. 1. Porro Decisiones meæ d. Ann. 1685. Mens. Februar. ques. 1. ponunt duodecim poenas, idèò alias quinque require ibi, ubi egi de Usuris.

24. Quer. An dictæ poenæ incurrantur ipso iure, vel opus sit saltem sententia declaratoria super notorietate criminis? Resp. Alios DD. tenere, quòd sit necessaria sententia declaratoria delicti. Menoch. Casu 335. num. 12. & 13. Clarus §. fin. q. 9. in fine. Alios verò, eam non esse expectandam, defendunt. Mascard. verb. Usurarius Conclus. 1425. num. 6. Thesaur. d. verb. Usurarii poena cap. 1. col. 4. ita, ut sufficiat notorium facti.

25. Quer. An Usurarius Clericus, si sit manifestus, possit obtentis beneficiis privari? Resp. Affirmative. Abb. in d. cap. Inter dilectos, num. 6.

26. Quer. An Episcopus possit dispensare cum Usurario publico, ut possit ad Ordines promoveri, & beneficia obtinere? Resp. Affirmative, si correctus, & emendatus fuerit.

rit. Abbas ubi supra. Ugolin. de Usur. c. 26. num. 7. Diaz, in Praxi cap. 91. & ibi Salzedo in Addit. lit. A.

27. *Quer.* Ad quem Judicem spectet iudicium de Usura? *Resp.* Quod si agatur in genere, an talis contractus sit Usurarius? spectat ad Judicem Ecclesiasticum, an verò illa persona commiserit Usuram, est crimen mixti fori, Diana tract. 2. resol. 77. Ceval. Commun. contra comm. quest. 11. num. 9. Martia de iurisd. part. 2. cap. 7.

28. *Quer.* Quomodo fit facienda restitutio Usurarum? *Resp.* Usuræ certorum dominorum iisdem sunt restituendæ. Si autem sunt incertorum, in foro externo sunt restituendæ pauperibus eligendis ab Episcopo; in foro autem interiori pauperibus ad arbitrium Usurarii, vel heredum ejus. cap. Cum tu, de Usuris. Rota Decis. 152. par. 1. rec.

29. *Quer.* An sufficiant legata pia pro restitutione Usurarum? *Resp.* Affirmativè, si domini sint incerti; secus verò, si certæ sint personæ, à quibus habitum est lucrum improbum. Glossa in cap. 2. verb. Facultates, de Usuris.

30. *Quer.* An, qui donationes recepit ab Usurario mortuo impenitente, possit licite res donatas tenere? *Resp.* Negativè, quia tenetur eas vel certis dominis, vel pauperibus restituere, etiam ante sententiam. cap. Quamquam, & ibi Glossa de Usur. in 6.

31. *Quer.* An Usurarius mentalis tantum teneatur restituere; ille scilicet, qui mutuavit non cum pacto explicito de scenore si bi solvendo, sed spe lucrum reportandi, quod postea reportavit? *Resp.* Esse hinc inde opiniones DD. quorum aliqui distinguunt, ut teneatur restituere in foro conscientie, non autem in foro exteriori; nisi solitus esset recipere lucrum ab omnibus mutuataris; quia tunc Usurarius manifestus præsumeretur. Abb. Innoc. Host. & Ancharan. in cap. Consultui, de Usuris.

32. *Quer.* An heredes Usurarii sine penitentia defuncti afficiantur aliqua pœna? *Resp.* Irregulares sunt donec restituant. Hostien. in cap. Tua nos, de Usuris. Majol. lib. 5. cap. 29. num. 4. quod si repudiaverint hereditatem, liberant se ab hac irregularitate. Abb. in cap. de oblig. ad rariocin.

33. *Quer.* An Parochus occasione Usurarii manifesti Parochiæ suæ incurrat aliquam pœnam? *Resp.* Incurrit in suspensionem à Divinis ipso jure, si eum tradat Ecclesiasticæ sepulturæ, vel ab eodem oblationes recipiat. cap. Quia in omnibus, de Usuris. An autem sit suspensus, si illum admittat ad communionem Altaris, est opinio diversa Doctorum. Nam affirmat Sayr. de Censur. lib. 4. cap. 15. num. 5. Negat Suarez disp. 32. sect. 2. num. 6. & Bonac. de Suspens. part. 3. quest. 3. punct. 6. num. 1. & Filliuccius tract. 17. num. 100. Thesaur. dict. loco cap. 3 ubi hanc opinionem tenet etiam in admittente ad Sacramentum Penitentiae.

34. *Quer.* An dicta pœna Suspensionis incurrat in admittente oblationes cujusunque Usurarii, vel tradente sepulturæ?

Resp. Nonnullos Doctores tenere, quod dictus Usurarius debeat esse denunciatus propter Extravag. Ad evitanda. Ita Bonac. de Censur. in particulari disp. 3. qu. 3. punct. 6. num. 7. Sed alios sustinere, quod ad incurrendam à Parocho dictam pœnam suspensionis sufficiat; si Usurarius sit notorius notorietate facti. Navar. cap. 17. num. 280. Altieri. tom. 2. disp. 11. cap. 2. in fine.

35. *Quer.* An Usurarius penitens possit tradi Ecclesiasticæ sepulturæ, antequam facta sit restitutio Usurarum? *Resp.* Negativè, quia debet præcedere restitutio, vel saltem cautio idonea de restitutione facienda pro viribus hereditatis. dict. cap. Quamquam, de Usuris, in 6.

36. *Quer.* An Episcopus, seu Parochus possit restringere, vel diminuire aliquid de legitima quantitate restituenda Usurarum? *Resp.* Negativè, imò si in hoc culpa aliqua laboraverint; ipsi de suo erunt obnoxii ad restitutionem supplendam, etiam in foro conscientie. Glossa in d. cap. Quamquam, in verb. Teneatur.

37. *Quer.* An Laici tradentes sepulturæ Ecclesiasticæ Usurarium impenitentem, incurrant aliquam pœnam? *Resp.* Incurrere in pœnam excommunicationis latam in Clement. 1. de Sepultur. quæ pœna extenditur etiam ad Clericos, & cumulatur cum pœna suspensionis supra notata. Abb. & Carden. in d. cap. Quia in omnibus, num. 3. de Usuris.

38. *Quer.* An sit alia pœna, quæ occasione Usurarium se extendat in alios? *Resp.* Existat pœna excommunicationis lata sententia in Clement. Unica. de Usuris contra Judices, & Rectores, qui approbant usuras, aut statuta illas permittentia non revocant. Salmanticenses d. tract. 14. cap. 3. num. 117.

39. *Quer.* Quam pœnam incurrat, qui affirmat, Usuras esse licitas? *Resp.* Incurrit crimen hæresis, & pœnas contra hæreticos inflictas. Clem. 1. §. fin. & ibi Glossa in verb. Hæreticum, de Usuris. Barbosa. ibid. num. 12. & 13. Gratus Conf. 49. num. 24. p. 2.

40. *Quer.* An incurrat aliquam pœnam, qui domus suas locat publicis Usurariis? *Resp.* Quod hi locatores, si sunt Episcopi, vel Episcopis Superiores incurrunt pœnam suspensionis; si Clerici inferiores, plectuntur pœna excommunicationis; si Universitates, vel Collegia, afficiuntur pœna interdicti; & hi omnes ipso jure. Si verò sint Laici, sunt ab Ordinario excommunicandi juxta Textum in cap. 1. de Usuris in 6. Thesaur. dict. Verb. Usura cap. 7.

41. *Quer.* An suspensio in Episcopos, & Superiores supradicta sit ab officio, & beneficio simul? *Resp.* Affirmativè, nam Textus loquitur generaliter, & suspensio absolute prolata intelligitur tam ab officio, quam à beneficio. Sayr. de Censur. lib. 4. cap. 12. n. 48. Suarez, disp. 31. sect. 5. n. 15. de Censuris.

42. *Quer.* An pœna illa interdicti lata contra Universitates afficiat Universitates Laicas, vel Ecclesiasticas? *Resp.* Afficere Ecclesiasticas Universitates tantum. Navar. cap. 27. num. 136. Azor, tom. 3. lib. 5. de Usuris.

fura cap. 18. Verf. Tertia Pœna. Quamvis contrarium dixerint Archidiac. & Anchoran. in d. cap. 1. de Ufuris.

43. *Quer.* An dictæ pœnæ contra locantes domus suas publicis Ufurariis habeant locum etiam contra locantes domus Judæis? *Resp.* Plurimos Doctores tenuisse, eas procedere etiam contra eos, qui locant domus etiam Judæis, si ipsi non sint admissi ex licentia Papæ saltem tacita. Bonac. de Censur. particul. disp. 2. quest. 4. punct. 1. num. 2. At contrarium communiter tenent Moder. ni, ut ait Azor. d. tom. 3. lib. 5. tract. de Ufura cap. 18. §. Tertia Pœna. Clarus §. Ufura, verf. Hec autem. Imò sic fuisse declaratum ab Eugenio VI. ait Tabiena verb. Ufura 1. quest. 5. verf. 8.

44. *Quer.* An dicti locatores, qui domus publicis Ufurariis ad fœnerandum locant, alia pœna se adstringant? *Resp.* Se adstringunt ad onus restitutionis Ufurarum, si, & quatenus ab ipso Ufurario restitutio non fiat, nam directè cooperantur ad Ufuras. Tabiena verb. Ufura 1. quest. 1. Sylvest. Verb. Ufura 9. quest. 22.

45. *Quer.* An publicus Ufurarius, qui est ad pœnitentiam conversus, & fecit restitutionem, remaneat irregularis? *Resp.* Non remanere, sed irregularitatem per pœnitentiam, & restitutionem, seu cautionem de restituendo auferri. Salas de Ufur. disp. 47. num. 1. Cevall. comm. contra comm. qu. 11. num. 5.

46. *Quer.* An etiam Testamentum Judæorum Ufuras exercentium sit ipso jure nullum? *Negative*, quia nullitas testamenti afficit Ufurarium fidelem, non infidelem. Ita Azor. parti. 1. lib. 8. cap. 22. qu. 15.

47. *Quer.* Quam animadversionem Episcopus teneatur adhibere contra hoc fœnoris crimen? *Resp.* Tenetur Ufurarios à tanto crimine compescere per viam excommunicationis. cap. Praterea, & cap. Tuas. de Ufuris.

48. *Quer.* Qua ratione sint cohibendi Judæi ab iniquo Ufurarum exercitio? *Resp.* Prohibendo Christianis, ne cum eis commercium habeant sub pœna excommunicationis. cap. Post miserabilem 12. cap. Quanto 18. de Ufuris.

49. *Quer.* An licitè Judæi exercent Ufuras cum Christianis, & absque peccato? *Resp.* *Negative*, nam nullo pacto permissum est eis, ufas imponere Christianis, ut disputant, & tenent Theologi, quos refert Marquard. de Judæis cap. 11. num. 3. parti. 1. Farinac. in Fragment. litter. 1. num. 667. Honorat. Leotard. de Ufuris qu. 100. num. 32; & Rota parti. 5. recent. decis. 301. à num. 31. & seqq. ubi copiose agit de hoc Qualito. Illud autem, quod scriptum est in Deut. 23. Non fœnerabis fratri tuo &c. sed alieno; interpretationem recipit de Chananæis, qui erant finitimi ipsis Judæis procedentibus ad Terram promissionis, nam cum Dominus Deus permiserit Hebræis devastationem terræ Chananæorum ob eorum iniquitates, etiam ad ufuram eis aliquid dare poterant; erant enim adepturi omnia bona Chananæ-

orum. Caterum, non ita est de Christianis, qui eorum proximi sunt, nam eundem Deum colunt, in eos faciunt misericordiam, illos apud se permittendo; & idè non possunt absque peccato ufas cum Christianis inire, ut doctè probat Marquard. d. parti. 1. cap. 11. per totum. Et his patet gravitas hujus facinoris Ufurarii.

CAPUT LXXX.

De monte Pietatis.

1. *Quer.* Quid sit Mons Pietatis, *Resp.* Est quædam summa pecuniæ, seu alterius rei usu consumptibilis, deputata ad subveniendum pauperibus, quibus ex ea mutuum datur, accepto ab ipsis pignore ad certum tempus cum pacto, ut mutuarius pro rata temporis, quo pignus non relierit, solvat aliquid pro sustentatione Ministrorum deputatorum ad hoc opus, & aliis expensis necessariis. Et si Mutuarius non solverit tempore præfixo, pignus sub hasta venditur, de cujus pretio satisfit Monti, ac Ministris; & si quid est reliquum, domino pignoris restituitur. Nicol. in Elucubrat. utriusque Juris tom. 1. tit. 15. num. 23. lib. 3. pag. 264.

2. *Quer.* An Montes Pietatis, in quibus pro mutuata pecunia aliquid nomine expensarum exigitur, sint liciti? *Resp.* Affirmative, si pro necessariis tantum expensis exigatur. Leotard. de Ufur. qu. 22. num. 33. & sic statutum à Leone X. in Concil. Lateranen. sess. 10.

3. *Quer.* An committant Ufuram Gubernatores Montium Pietatis aliquid magis recipientes ex pecunia mutuata? *Resp.* *Negative*, nam illud magis recipitur ratione expensarum. Tolet. lib. 5. cap. 38. num. 7.

4. *Quer.* An liceat aliquid parvum ultra necessarias expensas exigere saltem pro ipsius Montis augmento? *Resp.* *Negative*, & si exigatur, restitutionis est obligatio, ut omnes DD. testantur apud d. Leotard. d. qu. 22. num. 33.

5. *Quer.* Quam pœnam incurrant Officiales Montis Pietatis distrahentes pecuniam in alios, quam pauperum usus, ad quos destinata est? *Resp.* Incurrunt in excommunicationem Papæ reservatam per Bullam Pauli V. de anno 1615. incipit *Onerosa*. Quod si distrahentes fuerint Cardinales, vel Episcopi, incidunt in suspensionem, ut Constituitur. 82. Nicol. dict. tom. 1. lib. 3. tit. 15. de Monte Pietatis. num. 13.

6. *Quer.* An possit aliquid ultra sortem exigi à pauperibus mutuariis, si Mons habeat alios redditus, quibus possit solvere mercedem Ministris? *Resp.* *Negative*, ut respondit Sac. Congregatio anno 1604. Nicol. d. lib. 3. tit. 15. pag. 264. col. 2. sub num. 13.

7. *Quer.* Quantum possit exigi pro expensis Montis? *Resp.* Tria pro centenatio, vel quatuor ad summum. Sac. Congregatio apud Nicolium ubi supra, quæ etiam